



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

S. VVinoci Coenobium, intra muros Vuinocibergensis opidi, in Flandria.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11261

lesimo quingentesimo nonagesimo, sese receperunt, ibique fixum ac perpetuum illis domicilium Albertus & Isabella Austriaci Belgarum Principes, annuerunt. Sicque Beati Ioannis Taruanensis Abbatia, quæ olim Artesiæ fuit, in posterum inter Flandriæ Abbantias numerari poterit. *Hæc ab Huberto Dubraio, ciue & amico nostro, eiusdem cœnobij olim alumno, post Affligemensi Præposito, nuper defuncto, accepimus.*

S. VVINOCI

Cœnobium, intra muros Vuinocibergensis opidi, in Flandria.

Regnauit Clodoueus Rex annis duobus, cui successit Hildebertus frater eius. Hoc tempore Heremarus vir nobilis, villam suam VVormhoul dictam in Flandria, supra fluuium Pena, beato tradidit Bertino. Sanctus verò Bertinus considerans viros Dei Vuinocum & tres fratres eius in Dei seruitio plus ceteris profecisse, eos illò misit monasteriolum construere, conuentum congregare, Christi que pauperibus hospitia præparare. Quibus Heremarus iam dictus villam suam VVormhoul, cum appenditijs eius, priuilegij sui assertione firmavit: quod sic incipit: Omnibus præsentibus & futuris, qui Christianâ censentur &c. Actum in Sithiu monasterio, Kalendis Nouembris, anno primo Hildeberti Regis. Illi conuenticulo beatus pa-

tus pa-

S. VVinocum
hoc in cœ-
nobio qui-
escit

cus pater Bertinus sanctum concessit præesse
 Vuinocum, vbi multis miraculis concomi-
 tantibus, Domino finetenus inseruiuit. Sic
 Iperius in Chronico MS. Bertinensi, qui de S Vui-
 noco, eiusq; tribus fratribus, hac itidem comme-
 morat: Circa annum Christi sexcentessimum se-
 xagesimum primum, beatus Christi confessor
 Vuinocus, Iudicail Britonum Regis filius, &
 S. Iudoci frater spreto mundo, sceptrumque
 regale virgâ regularis disciplinæ commu-
 tans, sub beato patre Bertino in Sirthiu mo-
 nasterio, monachus efficitur, cum tribus fra-
 tribus suis Kadanoco scilicet, Ingenoco, &
 Modoco. Præerat tunc beatus pater Bertinus
 turbæ monachorum CL. inter quos VVino-
 cus, quasi stella matutina præ cæteris clare-
 scebat.

An. 661.

Obijt autem S. VVinoqus anno Christi septin-
 gentesimo decimo septimo, hoc ipso in cænobio
 Vuormholtensi conditus.

An. 717.

Huius sancti viri meritis, & cænobij dignita-
 te illectus, Gerardus Comes Sperliacensis anno
 852. Sperliacum prædium suum Vuormholt anis
 cænobitis assignauit, monasterio ibidem edifi-
 cando. Vtrumque porrò cænobium pauld post à
 Danis est euersum, corpusq; S. Vuinoci Audoma-
 ropolim Artesie translatum.

An. 852.

Ceterum Balduinus, cognomento Caluus,
 Flandria Comes, cum aduersus barbarorum in-
 cursus presidij & vallo Bergas cõmuniuisset, an.

non-

An. 920.

nongentesimo vicesimo, obnitentibus Audomari-
ropolitans, S. Vuinoci corpus Bergense ad opi-
dum transtulit, & in Canonicorum secularium
Basilica, à se in honorem SS. Martini & Vuino-
ci constructa, collocavit. Post autem Canonicis
diuina officia negligenter peragentibus, Baldu-

An. 1028.

nus Barbatu, itidem Flandriæ Comes, anno mil-
lesimo vicesimo octauo, Bergis S. Vuinoco cœno-
bium construxit, eoq; corpus sacrum ex Canoni-
corum Basilica transtulit. Monachis autem ex
Bertinensi monasterio euocatis pulforum Ca-
nonicorum possessiones, censusq; VVormhou-
tanos attribuit. Hæc ferè Meyerus in Annalibus
Flandriæ.

De his ipsis rebus sic Iperius Chronographus
Bertinensis: Sanctorum corpora, Bertini, Au-
domari, atque Vuinoci à B. Folquino Episco-
po Morinensi, sub terra recondita fuerant
propter metum Danorum. Post hoc Comes
Flandriæ Balduinus Caluus à nobis corpus B.
Vuinoci vi ablatum Bergis in Ecclesiam Ca-
nonicorum, quam ipse in honore SS. Marti-
ni & Vuinoci fundauerat, collocavit. Nunc
vero Domini Roderici Abbatis anno secuti-
do, Flandrensis Comes Balduinus Barbatu,
apud Bergas in arce castellum ædificare cœ-
perat; sed mutato consilio monasterium ibi
prope ædificauit, in honore S. Vuinoci. Cuius
caussa fuit hæc: Canonici S. Martini Ber-
gensis iam dicti, de sua religione minùs solli-

citi,

citi, diuina officia paruipendebant. Quod Comes experiri volens, quâdam nocte dum custos ad pulsandum Matutinum Ecclesiam aperiret, habitu mutato quasi oraturus intrauit. Custos pulsatis Matutinis, nulloque veniente claudere voluit Ecclesiam & Comittem, quem plebeium existimabat, compulsi exire. Quo dicente se velle audire matutinum, respondit totum esse completum, nec Canonicos ad matutinum surgere solitos. Sicq; Comes certificatus de illorû irreligiositate, Canonicos omnes expulit, prætermisso castro, quod inceperat, monasterium S. Vuinoci ædificauit. Corpus B. Vuinoci ab inferiori Ecclesia, id est, Canonicorum ad hoc nouum suum monasterium transtulit, & monachos sumptos de monasterio S. Bertini in illo loco collocauit, dans eis bona Canonicorum prædictorum, cum bonis de Vormhout, addens & de suo. Istudque monasterium Domino Roderico Abbati modo & Ecclesiæ S. Bertini dedit perpetuò possidendum. Hoc est, quod nunc dicitur monasterium S. Vuinoci Bergensis. Quod ipse Rodericus septem annis per se rexit, & tandem eis Abbatem præfecit Germanum Sithiensem monachum, qui vix quadriennio vixit. Post quem Abbatem ibidem ordinauit Rumoldum monachum suum.

Quomodo autem Bergense hoc monasterium à Bertinensi fuerit separatum, propriumq; accepit Abbatem, ita narrat idem Chronographus

*S. Vuinoci
cænobium
in Monte
seu Bergis
S. Vuinoci
ædificat.*

Bertinensis : Durantibus bellis Roberti Frisii, Flandriae Comitis, contra Richildem, & filium eius Arnulsum, itemque Philippum Franciae Regem, & Domino Heriberto Abbate nostro absente & apud Antiffiodorense monasterium suum moram trahente, regiminis sui anno quinto, Rumoldus Abbas S. Vuinoci Bergensis, nosterque monachus obiit. Quo defuncto, sicut assolent ablato capite membra dissolui, monachi Bergenses, spretâ obedientiâ Abbatis nostri S. Bertini, elegerunt Abbatem non de collegio S. Bertini, ut tenebantur, sed de suo Bergensi collegio sumptum. Quod tamen eidem in partem cessit contrariam. Nam propter hoc vitium, quod fortè Dominus in eo puniuit, dum monachos suos ad religionem compelleret, inuidè murmurabant, & dedignabantur eidem obedire, quem dudù habuerant socium. Vnde seditionibus & con- spirationibus eum turbare non cessauerunt. Flandria etiam tota bellis & inquietudinibus agebatur. Quare monachos suos cohibere non poterat. Igitur Bergenses monachi, de quodam iuvene nobili Ingelberto, filio filiae Comitis Flandriae Balduini Barbati, spem concipiunt, ut illum sibi præficerent, si Ermengerum deponere possent. Putabant enim iuvenem eorum voluntatibus faciliter iudicatum. Multis igitur & falsis Ermengerum culpantes, eum per Hugonem Diensem Papæ Legatum deponi fecerunt. Cum ergò innotuit Roberto Frisoni, qui tunc Flandris

præ-

præerat, Ermengerum sic depositum, Ingelberto non consensit, sed quemdam cognatum suum, nomine Manassem, de monasterio Viridunensi, eis nolentibus & reclamantibus, quibusdam & de monasterio recedentibus, præfecit, anno millesimo septuagesimo octavo; qui prudenter res Ecclesiæ suæ disponens, à Papa Gregorio anulum, mitram & sandalia impetrauit. Sed ab inuidis accusatus, & à Comite de dilapidatione in causam tractus, respondit non Comitem, sed se esse Abbatem, & de suo non Comitem, sed se disponere posse & debere. Quo responso Comes indignans, ei Ecclesiam Bergensem prohibuit. Manasses igitur assumptis sibi quæ poterat, cum privilegijs & insignibus suæ dignitatis abscessit: & sic vsque hodie Bergensis Ecclesia Pontificalibus caret. Ab hac die Ingelbertus præfatus, communi consilio Abbas in Bergis efficitur. Et sic tumultuantibus Flandris, & duobus tantæ nobilitatis viris successiuè ibidem Abbatibus institutis, Bergenses ab obedientia Abbatis S. Bertini sunt abalienati; Abbate nostro Heriberto absente, impellenteque potenti manu Principis, nemineque contradicere præsumente seu audente. *Hactenus Iperius.*

Quâ porro ratione apud Bergenses Cluniacensis reformatio sit instituta, ex eodem Iperio audiamus: ANNO CIO. CI. Ingelbertus Abbas S. Vuinoci Bergensis, postquam xxxi. annis, illam Ecclesiam rexisset, positus in mortis

An. 1101.

articulo, palam confessus est Dominum Ermengerum Abbatē suum, à se regnandi cupiditate minus iustè depulsum. Igitur eo defuncto anno CIO. CI. Bergenses Ermengerum resumserunt Abbatem, qui per Papam & Episcopum Morinēsem approbatus vix triennio superuixit. Tunc Bergenses de suis electionem fecerunt. Episcopus autem videns illam Ecclesiam indigere correctione, Roberto Comiti Flandriæ indicauit illam Ecclesiam per virum religiosum corrigi fore necesse. Comes hortatu suæ coniugis Clementiæ, per Lambertum Abbatem nostrum inductæ consensit. Igitur instinctu Abbatis nostri, Hermetem Priorem nostrum hîc à puero nutritum, tunc Cluniaci commorantem, Abbatem in Bergis ordinauit. Die præfixo Comes Bruno Apostolicæ Sedis Legatus, Ioannes Episcopus Morinensis cum clero, Abbas quoque noster cum Abbate nouo & monachis nostris, quos illuc ad ordinem introducendum adduxerat, in Bergis adsunt. Bergensibus quaquauersum dispersis, Abbas Hermes inthronizatur, an. Domini millesimo cētesimo quarto, qui diruta pœnè reperit omnia, sed spē suam in Deo ponens opus aggreditur, sic vt in breui, quoad spiritualia, multi confluerent ad conuersionem, & quoad temporalia in ædificijs & possessionibus per eum retractis & acquisitis, Ecclesiæ suæ magnam sentiret emeliorationem.

An. 1104.

Sic Lambertus Abbas in hac mutatione
Bergensi

bergenſi duo magna fecit. Primò nos ad noſtram Eccleſiam, & quæ noſtra fuerant, reſtituit. Secundò quia locum quaſi ex toto lapſum in toto reparauit. *Hactenus Iperius.*

HVNOCVRTENSE

*Monafterium in dioceſi quidem Cameracenſi,
ſed in ditione regni Gallie, ad Scaldim fl.
tertio lapide à Cameraco
ſitum.*

Quidam vir nobilis Amalfridus nomine, monaſterium in ſua proprietate conſtruxerat, in pago Cameracenſi, ſupra fluum Scaldim, in loco vocato * Hinilficurte, in quo monaſterio filiam ſuam Aurianam fecerat Abbatiffam. Hoc monaſterium cum ſuis pertinentijs, ipſe Amalfridus beato Bertino donauerat, eo tamen tenore, vt ipſe & filia eius Auriana, eundem locum, quamdiu uiuerent, tenerent, ſed poſt vtriuſque obitum ſanctus Bertinus, eiusque ſucceſſores hoc haberent, tenerent, & quemcumque vellent, eidem proponerent. Quam donationem Amalfridus priuilegij ſui traditione firmavit: quod ſic incipit: Quantum intellectus ſenſus humani &c. Actum Veromanduis, Februarij die octauo, anno XI. Regni Theoderici glorioſiſſimi Regis. Quod Amalfridus regali priuilegio confirmari fecit, quod ſic incipit. Quoties recta poſtulatío, &c. Datum Kalendis Aprilis, XIII. regni noſtri in Pa-

* *Aut Hu-
nulficurte.*